



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 14. Apud Itatinenses in Foensi oppido graviter turbatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

fortitudinis gloria: dum moritur, oritur virtus, & scelus ex sepulchro suâ se enormitate prodit. Ex indicîis igitur detectum facinus, Socios ad laudem pudoris heroicâ morte propugnati, & ad pœnam crudelitatis impotenter perpetrata, excivit.

CAPUT  
XIV.

Apud Itatinenses in Foïensi oppido graviter turbatur.

Dominicus Munnoa & Christophorus Arenas vulnera accipiunt.

Socii ludibrio habentur.

Tygris multos devorat.

Nianduabuzuvium excusat.

Itatinenses convertuntur.

Ethnici reducuntur.

Spes propaganda Fidei.

CAPUT  
XV.

Petrus Romerus ultra

**I**N Foïensi Itatinorum coloniâ graviter turbatum est, indigenis Patrum detrectare imperium, & tumultuari, Nianduabuzuvio duce, palam ausis. In quorum pervicaciam Socii invecti, præter vulgi diſteria & potentum minas, plagas etiam retulere. Nam Borobebeus, Nianduabuzuvii nepos, Dominicum Munnoam, contumeliosis verbis prius ab nescio quo affectum, impacto fuste in facie, & alter Christophorum Arenas in capite vulneravit. Vincentium verò Badiam, tumultuosa facinora exprobrantem, Nianduabuzuvius ipse probrosis verbis perstrinxit, addens se mores ab majoribus suis derivatos ad posteros velle transmittere. Nantabagua, alter Nianduabuzuvii nepos, quod virgam dignitatis insigne in inverecundiæ pœnam unus è Sociis sibi ademisset, barbarum in modum excaudescens, publicâ in templo concione perturbatâ, populares suos ad defectionem sollicitans, Patrum doctrinam, utpote Majorum suorum moribus adversam, detestatus, effecit, ut auditores omnes Concionatorum desererent. Exinde iussa Patrum, labefactatâ authoritate, nullum apud plebem pondus habebant: summis æquè ac infimis ludibrio erant: Sacris nullus honor habebatur, sacrilegis hominibus omnia profanantibus: servitium domesticum Patribus omne ademptum, caventibus Casiquis, ne quis etiam Sacrum facientibus adesset. Inter has turbas, quasi in vindictam Sociorum, efferata tygris Neophytos undecim, Ethnicos tres, equos viginti, boves aliquot suffocavit: immotis ad hos terrores Tarensibus, & nihil de sua ferocia remittentibus; donec Socii blanditias & minas frustra experti, severioribus remediis arreptis, Nianduabuzuvium cum filio & binis nepotibus, è Foïensi oppido dissimulanter extractos, ad Japeviensem ultimam Urvaicæ coloniam, ducentis leucis distantem, ne facilis esset regressus, in exilium transportari curarent. Amotis capitibus, alia rerum facies in Itatinis visa est. Templum antea semper vacuum magno concursu frequentari ceptum, catervatim ad catechesim, concionem, & Sacrum audiendum, tantâ promptitudine ventitabant, quanta sperari posset ab maximè piis hominibus. Certamen jam erat inter primores, quis filios templi servitio devoveret. Infames choreæ, metetricii amores, uxorum pluralitates, & ritus Barbarorum aviti, penitus ablegati; in quorum locum successerunt virtutis amor, obsequium erga institutores, æstimatio rerum sacrarum, denique quæque optima: adeo nempe efficax est in utramque partem capitum conditio, qualitates in subjecta membra perniciosè aut utiliter instillantium. Multi Ethnici moribus Nianduabuzuvii antè absterriti, cognito illius exilio, reduci se ad oppidum permisere. Satis constat circa id tempus in Foïensi oppido trecentis & quinqueaginta adultæ ætatis capitibus, & triginta supra centum infantibus, salutare aquas infusas fuisse. In Sancti Ignatii colonia, præter magnum parvulorum numerum, sexaginta catechumeni Christo per Baptismum accessere, cæteris, pro more, defectu Catecheseos, in aliud tempus dilatis. Barbari variarum nationum turmatim ad Virginis Foïensis oppidum ventitantes, spem fecere novarum victoriarum. Sed super omnes exhilaravere Socios aliquot Ethnici, aliud Paraquarii fluminis littus hæcenus à Christianis Sacerdotibus intactum habitantes, qui nunciatum venere ob Guaicarorum vicinitatem bellis continuis obnoxiam, multis suorum popularium in animo esse, desertis patriis sedibus, ad proxima Foïensi coloniæ loca transmigrare. Præterea Guairamina, Paraliquini Guiraporum facile principis nepos, ad Socios veniens, supra manuum & pedum articulos, pro more gentis, enumeratis nationibus, quæ cis & trans flumen Paraquarium sunt, accendit virorum Apostolicorum desideria Christiani imperii fines ultra Paraquarium producendi.

**H**ACTENUS Itatinenses Socii ob diminutum operarum numerum, Mamarucorum invasiones, Neophytorumque turbas, cis Paraquarium se continerant.